

turaliter propria existentia, et subsistentia, non per naturalem connexionem cum natura, sed ex vi primæ productionis, quæ ad illam tendebat; sicut de facto produceretur posita tali actione, si non impediretur per assumptionem.

XV. Quod si dicas: Si datur proprium fieri humanitatis: ergo etiam datur proprium existere, et subsistere in fieri, et sic modo habet humanitas Christi realiter existentiam propriam, et subsistentiam, quia existentia in fieri realis est, non rationis, respondetur dari quidem fieri proprium, sed impeditum ne terminetur, et consequenter non datur existentia, et subsistentia propria realiter, quia hæc non est fieri ipsum, sed terminus ejus, et talis terminus non datur, sed tendentia ad illum.

XVI. Quare ad argumentum ultimum confirmationis respondetur, quod licet ea quæ dimanant ab aliqua natura, sublato impedimento, supponant naturalem inclinationem, saltem ratione actionis, quæ de se tendebat in illum terminum, tamen hæc naturalis inclinatio, et tendentia non movetur, nec appetit in actu secundum illum terminum, quamdiu impeditur per alium terminum suppletum, et continentem in se quidquid per priorem terminum dari poterat; habet tamen in se sufficiens principium, ut moveatur ad propriam subsistentiam, si dimittatur a Verbo; modo tamen de facto ad illam non movetur, sed quiescit in divina omnino.

ARTICULUS III.

Quid de facto fuerit assumptum a Persona divina in humanitate; et quid non sit assumptibile?

I. Dico primo: Omnia, quæ informantur anima rationali in huma-

nitate de facto sunt assumpta a Verbo. Hæc conclusio manifeste sequitur ex fide, quæ docet, quod: Christus est perfectus homo, et perfectus Deus: ergo habet omnia, quæ requiruntur, et concurrunt ad perfectionem hominis: omnes autem partes informatæ anima rationali pertinent ad integritatem, et perfectionem hominis; ergo sunt assumptæ in humanitate.

II. Dico secundo: Inter ea de quibus est opinio, an informantur anima rationali, vel non, certum est (ita ut contrarium sit error in fide) sanguinem esse unitum Verbo divino.

III. Pro quo advertendum est, quod inter philosophos, et medicos est controversia de forma sanguinis, an informetur forma vitali totius; an distincta forma, quæ vitalis non sit. De qua quæstione egimus in libris de generatione, quæst. VIII, art. III. Et ibi tamquam probabilius sumus secuti sententiam D. Thomæ, quod sanguis informatur forma vitali totius, quia vivit, et crescit, et augmentatur, licet non informetur secundum omnem gradum, et perfectionem animæ, sed secundum gradum vegetativum; et est in potentia, ut ex illo fiant partes solidiores, ut carnes, nervi, et ossa, et sic est nutrimentum illarum.

IV. Cæterum, sive sanguis animetur anima totius, sive non, tamen de fide certum est, sanguinem fuisse unitum Verbo divino, quia ita determinatur in extravaganti Unigenitus, de pœnitentia, et remissionibus, ubi dicitur guttam sanguinis Christi, propter unionem ad Verbum, habuisse valorem infinitum. Idem etiam constat ex sacramento eucharistiæ, in quo sub speciebus vini ponitur sanguis, et per naturalem concomitantiam anima, et divinitas, ut diffinit Tridenti-

num sessione IV, cap. III. Et si in triduo mortis Christi consecraretur species sanguinis, non poneretur ibi anima, vel corpus, et tamen ille sanguis esset unitus Verbo; alioquin non verificaretur, quod esset sanguis Christi, nec ille calix posset dici calix sanguinis mei, si sanguis non esset unitus Verbo.

V. Denique: Id communiter docent patres, et Concilia, assumptis se Verbum carnem, et sanguinem. Et est optimus locus ad Hebræos II: *Quia ergo pueri communicaverunt carni, et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem*, ubi æqualiter loquitur Paulus de participatione carnis, et de participatione sanguinis; ergo sanguis fuit unitus Verbo. Videri possunt auctores apud Suarez hic disp. XV, sect. VI, et Vazquez disp. XXXVI.

VI. Ex quibus infero, quod a fortiori illi humores, qui perfectum sanguinem includunt, fuerunt assumpti a Verbo, ut sunt spiritus vitales, et animales, qui sunt purissimæ partes sanguinis decoctæ in corde, et in cerebro, et quidquid aliud perfectionem sanguinis habet, assumptum est a Verbo.

VII. Infertur secundo, etiam alios tres humores, qui pertinent ad temperiem, et compositionem corporis animalis, assumptos esse a Verbo, quia sine illis non vivit corpus, et se habent ut partes ejus. Aliud est de humoribus excrementiis, qui dimittuntur a corpore tamquam superflui.

VIII. Tertio infertur, etiam ungues, et capillos assumptos esse a Verbo, quia certius est habere vitam, quia crescunt, et augmentantur, nec se habent ut superfluitates emittendæ, sed ipsi corpori unitæ; non tamen est de fide de istis, sicut de sanguine. Certum tamen est, quod si aliquid istorum, scilicet capilli, vel ungues præscin-

derentur a corpore, hoc ipso amittebant unionem ad Verbum; tamen sanguis effusus unitus mansit Verbo, sicut corpus mortuum propter specialem rationem, quia deservit redemptioni nostræ illa effusio sanguinis.

IX. Circa ea, quæ non sunt assumptibilia immediate a Verbo, suppono omnem naturam capacem subsistentiæ immediate in se esse assumptibilem a Verbo, quia talis natura non minus continetur intra perfectionem, et continentiam Personæ divinæ, quam natura humana. Est vero difficultas de quibusdam naturis imcompletis, quæ non existunt per se, sed in alio; et quædam habent esse incompletum, solum prout unita ipsi composito; si enim dividuntur, redduntur subsistentia, ut partes integrales, et anima: aliæ habent inhærentia, ut accidentia; possunt tamen conservari per se sine subjecto; et de istis est difficultas, an possint assumi ab existentia, vel subsistentia divina.

X. Dico tertio: Ex naturis imperfectis illæ solum, quæ sunt in se capaces propriæ subsistentiæ, et pro illo statu, quo sunt capaces, possunt assumi ad unitatem subsistentiæ, vel existentiæ divinæ: si vero non sunt capaces propriæ subsistentiæ, vel existentiæ, et assumptibiles non sunt immediate. Et probatur, quia divina personalitas, vel existentia solum assumunt aliquam naturam terminando illam in ratione puri termini; ergo supponunt terminabilitatem in ipsa re assumpta, et loco proprii termini intrant, et subrogantur; ergo res illæ, quæ non fuerint capaces propriæ subsistentiæ, et existentiæ immediate, sed solum medio alio, neque etiam erunt capaces, ut subrogetur in illis immediate subsistentia, vel existentia divina loco propriæ, sed so-

lum mediante illo, in quo existunt.

XI. Ex quo sequitur primo, materiam primam in sententia D. Thomæ si denudetur omni forma, non posse immediate assumi ab existentia, vel subsistentia divina, sed solum mediante aliqua forma. Ratio est, quia entitas materiæ licet non sit nihil, sed ens reale, est tamen pura potentia incapax existentia, quæ est actus ultimus entitativus, nisi mediante forma, quæ est actus primus et specificus, et formalis, ut late quæstione III et IV physicorum tractavimus, et primo tomo primæ partis, disputatione IV: ergo si essentialiter non est capax habendi propriam existentiam, vel substantiam immediate sine forma, etiam est incapax, ut per existentiam, vel subsistentiam divinam, subrogatam loco propriæ materiæ reddatur existens, vel subsistens immediate, sed semper indiget forma. Subsistentia autem, et existentia divina non se habent ut forma, quæ est actus primus, sed ut terminus, neque informant constituendo naturam, sed terminando.

XII. Sequitur secundo, formam accidentalem, etiam separatam a subjecto, non esse assumptibilem a personalitate divina; bene tamen ab existentia, quamdiu separatam esse habet. In hac conclusione convenio cum Alvarez hic disput. XXII, et Cabrera quæst. IV, art. I, disp. VI, et aliis: et ratio primæ partis est, quia accidens etiam ut separatam, non est capax subsistentia, nec aliquem modum accipit subsistentia, ut ostendimus in libris de generatione quæst. IX, et dato quod acciperet aliquem modum subsistendi, ille non esset subsistentia, quia accidens extra subjectum, non est per se terminative, sicut substantia, sed est per se effective, quia scilicet Deus efficientia sua conservat idem

esse, quod habebat in subjecto, et dependenter ab illo sine tali subjecto, ut docet D. Thomas infra quæst. LXXVII, art. I. Unde non potest sustentari a Deo per modum subsistentia, quasi in se terminetur et per se existat, sed per effectivam sustentationem, seu continuatum concursum influentem esse ipsi accidenti sine subjecto, sicut antea influebat cum subjecto, quia concursus est actio divina continuans esse, etiam remoto subjecto; actio autem suppleri non potest per substantiam divinam, quia hæc non terminat causando, sed pure terminando naturam, et supplendo ejus propriam subsistentiam. Unde cum accidens subsistentia propriæ non sit capax, sed solum sustentationis effective a Deo, neque etiam est capax subsistentia divinæ subrogatæ loco propriæ.

XIII. Ratio secundæ partis, quæ est contra Suarez disput. XIV, sect. IV ex eo sumitur, quia accidentia quando separantur a subjecto retinent propriam existentiam, in qua conservantur a Deo; ergo sunt capaces existentia subrogatæ loco propriæ. Divina autem existentia est communicabilis naturæ creaturæ, illamque supplet in humanitate Christi, ut nunc suppono ex sententia D. Thomæ infra quæst. XVII, art. II. Sed illa existentia divina continet eminenter quamcumque existentiam creatam semotis imperfectionibus; ergo potest loco illius subrogari, dummodo non sequatur imperfectio, sicut sequeretur si accidens non esset separatam, sed inherens, quia tunc existentia illa diceretur existentia in alio, quod imperfectionem sapit, unde si Deus tale accidens separatam assumeret, diceretur sustentans, vel supplens existentiam accidentis, non tamen diceretur accidens, verbi gratia, non diceretur albedo, neque album:

non albedo, quia natura in abstracto non prædicatur de Dei assumptione, sicut nunc non dicitur Deus humanitas; non diceretur album, quia hoc nomen importat albedinem inherentem, et tunc albedo non inheret Deo.

XIV. Sequitur tertio, formam substantialem (præter animam rationalem, de qua non est quæstio) si separetur a Deo, et conservetur sine materia, si haberet modum subsistentia propriæ per talem separationem, ut aliqui sentiunt, posse assumi a Deo in unitatem suæ subsistentia, quia tunc est capax subrogationis alienæ, cum sit capax subsistentia propriæ ex vi separationis. Si autem talis forma separata non accipiat modum aliquem subsistentia ex vi separationis, ut alii sentiunt, sed conservetur a Deo sine materia, sicut accidens sine subjecto per solam effectivam influentiam existentia, poterit per existentiam divinam suppleri, et ab illo assumi, non tamen a subsistentia divina, sicut de accidente separato dictum est.

ARTICULUS IV.

Quis fuerit ordo unionis inter totam naturam assumptam, et partes ejus?

I. Ad inveniendum ordinem, quo unita fuit humanitas, et partes ejus ipsi cum Verbo, in uno fere conveniunt omnes auctores, in alio est difficultas. Conveniunt omnes, quod secundum ordinem intentionis prius fuit unitum totum, id est, tota humanitas, quam partes ejus, ut docet S. Thomas in hac quæstione VI, articulo quinto. Idque, et non amplius probant argumenta Scoti in III, dist. II, quæst. II: vocamus autem ordinem intentionis id, quod ultimate

intendit ipsum agens. Constat autem Verbum divinum intendisse totum, et integram naturam humanam assumere, nec in aliqua tantum parte sistere, quia intendebat Verbum fieri homo; ergo prius immediate cadebat in intentionem totum, quam pars.

II. Similiter fere omnes conveniunt unionem totius naturæ, et partium actu esse unam; licet in potentia sint plures, ut perspicue docet D. Thomas in tertio, distinctione XXI, quæst. I, art. I, quæst. II ad quintum: «Ex parte, inquit, assumptorum, quæ divina sunt, sunt duæ uniones in actu post mortem; antea autem erat una in actu, et multæ in potentia. Unde non oportet, quod aliqua unio fiat ibi de novo; sicut nec in divisione continui fit aliquid de novo, quantum ad id, quod prius erat multa in potentia; unum autem in actu fit actu plura.» Ita D. Thomas, unde et ipse Suarez disput. XVII, sect. V posuit præter partiales uniones partium ad Verbum specialem unionem naturæ completæ ad personam, pressus difficultate illa, quod per unionem totius naturæ manent partes assumptæ, et sic superfluunt uniones partiales: additque illam unionem totalem, seu totius naturæ, non esse omnino distinctam a partialibus, sed solum se habere tamquam includens, et inclusum, quia illa unio totalis includit illas partiales, et ex illis componitur; atque ita fatetur unionem illam esse unam, ex pluribus tamen compositam, sicut humanitas componitur ex suis partibus.

III. Nos tamen negamus plures subsistentias partiales in partibus substantia, et solum ponimus unam ultimam, quia subsistentia est terminus, et sic solum debet poni una pro omnibus partibus: sicut punctum terminat omnes partes lineæ, ut late tractavimus I tomo, I

part. disput. iv, et quæst. i physi-
corum, ita negamus uniones par-
tiales ad subsistentiam, loco partia-
lis subsistentiæ subrogatam; et so-
lum ponimus unicam unionem ad
unicam subsistentiam, quæ imme-
diate terminat totam naturam, et
mediate ipsas partes.

IV. Difficultas vero est, utrum in
ipsa executione assumptio, et unio
ad subsistentiam divinam inceperit
ab aliqua parte, et terminata fuerit
in ipso toto. Oritur enim difficultas
in primis ex parte animæ rationalis,
quæ in hoc elevatur super alias
formas, quod non solum est id, quo
aliquid existit, et subsistit tamquam
principium quo; sed etiam in se
recipit prius subsistentiam, et vere
in se subsistit: inde vero communi-
catur ipsi toti (ut affirmat D. Tho-
mas i part. quæst. lxxvi, art. i ad
quintum, et in i, distinct. viii, quæst.
v, art. ii ad secundum.) Nec solum
habet esse subsistens ut quod, quan-
do est separata, ut existimavit Ca-
jetanus hic quæst. vi, art. iii; sed
etiam quando est conjuncta, quia
id intrinsecum est ipsi animæ, nec
advenit illi per separationem, ut
etiam asserit D. Thomas quæstione
de spiritualibus creaturis, art. ii ad
tertium dum inquit: « Quod anima
rationalis trahit corpus ad commu-
nicationem sui esse. »

V. Quare videtur, quod subsis-
tentia Verbi, quæ fuit assumpta loco
propriæ, prius fuit communicata
animæ, tamquam rei assumptæ, et
terminatæ per subsistentiam, dein-
de derivata ad totum, ut rationi as-
sumendi, et medio se habenti ut
quo ad assumptionem naturæ. Vi-
deatur S. Thomas quæst. vi hic, art.
v, et infra quæst. l, art. ii ad secun-
dum.

VI. Secundo, nascitur difficultas
ex parte ipsius corporis, quod vide-
tur ita esse unitum Verbo, ut fuerit
res assumpta priusquam humani-

tas, et non solum medium assu-
mendi: nam in morte Christi man-
sit corpus unitum Verbo, tamquam
res assumpta ex vi prioris unionis,
et non per novum miraculum: er-
go ipsum corpus supponebatur uni-
tum tamquam res, et non solum
ut medium quo assumendi ipsam
humanitatem.

VII. Resolutio nostra est, quod
anima fuit prius assumpta a Verbo,
non solum ut medium quo assu-
mendi humanitatem, sed ut res in
se subsistens, et ipsa subsistentia
terminata: deinde, ex unione animæ
ad corpus ex quo resultavit tota
humanitas, derivata est subsistentia
animæ ad humanitatem, et corpus.
Videatur de hoc Alvarez hic dispu-
tatione xxx.

VIII. Fundamentum est, quia eo-
dem modo subrogatur subsistentia
Verbi in assumptione, quo resulta-
ret propria, et naturalis subsisten-
tia, si daretur. Constat autem ex lo-
cis D. Thomæ citatis, et ex ipsa ra-
tione, quod anima humana quando
creatur in carne, prius in se habet
subsistentiam ex ipsa creatione;
deinde, hæc anima communicatur
carni, et humanitati, si quidem
anima est forma per se subsistens;
ergo cum subsistentia Verbi intret
loco propriæ, eadem ratione prius
unietur animæ, ut rei assumptæ,
et per unionem animæ ad corpus,
communicatur corpori, et humani-
tati. At vero corpori non unitur im-
mediate Verbum ordine executionis
tamquam rei unitæ ut quod, quia
corpus non prius subsistit ut quod,
sicut anima, sed solum mediante
composito; ergo non est quod prius
communicetur illi subsistentia,
quam toti naturæ. Et licet D. Tho-
mas in hac quæstione vi, art. v,
æqualiter dicat de utraque parte
humanitatis, quod prius fuit assump-
ta, quam totum, non tamen deter-
minat, quod quælibet prius fuit

unita ut quod, vel ut quo, sed id
relinquit determinandum, juxta na-
turam cujusque partis.

IX. At vero, quod dicitur corpus
mansisse unitum Verbo post mor-
tem tamquam res unita responde-
tur, quod ut docet D. Thomas in
hac quæstione vi, art. i ad tertium,
licet corpus fuerit assumptum de-
pendenter ab anima in ipso fieri
unionis, non tamen dependebat ab
illa, ut maneret unitum in facto
esse, quia illa unio virtualiter erat
multiplex, et in potentia, ita quod
facta divisione inter animam, et
corpus maneret separatim in utra-
que parte unio ad Verbum, ut D.
Thomas docet in iii, distinct. xxi
citata. Præsertim, quia in illo cor-
pore semper manebat ordo ad ani-
mam rationalem, quæ erat illi reu-
nienda, et propter illam habitudi-
nem manebat unio corporis ad Ver-
bum, licet actu non informaretur
ab anima.

X. Sed objicit Suarez ubi supra:
Quia unio corporis ad Verbum debet
esse corporea, et unio animæ spiri-
tualis, quia in illis subjectatur talis
unio, non potest esse una, sed du-
plex, licet partialis.

XI. Respondetur, quod sicut pro-
pria subsistentia animæ, imo et ipsa
animæ entitas spiritualis est in se,
communicabilis tamen corpori mo-
do corporeo ex parte corporis, quia
anima eminenter continet gradus
corporeos, licet in se spiritualis sit;
ita subsistentia divina subrogata lo-
co subsistentiæ animæ, ita unitur
animæ spiritualiter in se, quod emi-
nenter habet ex vi talis unionis
communicari corpori, quia totum
quod facit subsistentia propria ani-
mæ supplet, et facit subsistentia di-
vina, et sic unica unione totum fa-
cit; quæ unio spiritualis est forma-
liter, ut subjectatur in anima, sed
eminenter corporea in quantum est
communicabilis corpori eadem
prorsus ratione, qua ipsa subsisten-
tia animæ, si daretur, quæ spiritua-
lis est in se, ut in anima, communi-
cabilis tamen corpori propter emi-
nentiam suam quatenus anima est
forma corporis. Nec est major diffi-
cultas, quod subsistentia, et exi-
stentia animæ, quæ spirituales sunt
communicentur corpori, quam quod
ipsa entitas animæ quæ spiritualis
est informet corpus.